

Joachim Heinrich Pries

**Memoriam Viri, Dvm Versaretv In Vivis ... Domini Ioannis Ludovici Engel, Phil.
Doctoris ... Collegae Desideratissimi, Nomine Ampliss. Facvltatis Philosophicae,
Posteris Conservare, Et De Meliori Commendare Studet**

Rostochii: Ex Officina Adleriana, [1758?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1793755027>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proboten-Programme, meist
Fotokopieen in Proboten Einzahligen Familien bzw.
Größen Heile und dem nächsten Jahresänderung.
Originaltitel vorhanden.

Litr. A - H.

Im Juni 1859 und dem Neujahr des Graf. Hofrat Piper
zu Güstrow erworben.

(Zurück und die Familien v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mkib Gen

2/3I-40



Revis.
1833.

F. A. Aepinus, + 1758.

J. F. Brüll, + 1757.

A. Ahrend, + 1730.

J. A. Curtius, + 1740.

Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.

J. Ch. Dancwarth, + 1755.

Cath. Ampel, vid. Klein, + 1725.

Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.

Magd. Brand, ux. O. P. Möleri, + 1733.

G. Deharding, + 1747.

J. H. Balke, + 1778.

Georg. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.

J. H. Becker, + 1774.

Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.

P. Becker, + 1753.

J. J. Bentzen, + 1725.

Ch. Doercks, mar. Nettelbladt, + 1753.

Cath. Marg. Besselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.

Just. Reg. Besselin et Ann. U. Hever, vid. Ch. M. Steven. Ross, + 1742.

Marg. Doercks, mar. Lief, + 1755.

V. J. Besselin, + 1755.

J. A. Düve, + 1728.

Cath. Bloeksdorff, vid. Viet. Puffer, + 1715.

Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen, + 1743.

Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.

Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.

Ch. M. Burchard, + 1742.

Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.

Jac. Burgmann, + 1724.

J. L. Engel, + 1758.

J. H. Burgmann, + 1746.

H. A. Engelen, + 1734.

J. P. Burgmann, + 1775.

H. Ch. Engelen, + 1742.

J. Carmon, + 1743.

J. F. Eyllers, + 1749.

J. H. Carstens, + 1731.

Chr. Ed. Forster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.

J. F. Celle, + 1729.

Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt, + 1742.

P. Biese, + 1746.

Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.

Ann. Cath. Coeh, + 1726.

P. Gerling, + 1778.

G. Crause, + 1723.

H. Goltermann, + 1733.

Ch. Crule, + 1748.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Fleins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Kolsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Hoppen, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

48.

MEMORIAM

VIRI,

DVM VERSARETVR IN VIVIS,

EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI,

ATQVE DOCTISSIMI,

DOMINI

IOANNIS LVDOVICI

ENGEL,

PHIL. DOCTORIS, NEC NON PROF. LOGICES DVICALIS

P. O. CELEBERRIMI,

COLLEGAE DESIDERATISSIMI,

NOMINE

AMPLISS. FACVLTATIS

PHILOSOPHICAE,

POSTERIS CONSERVARE, ET DE MELIORI


COMMENDARE STVDET

IOACH. HENR. PRIES,

S. S. THEOL. D., PHILOS. PRACT. P. P. O., ET AD AEDDEM



D. IOH. PASTOR,

H. FACVLT. PHIL. DECANVS.



ROSTOCHII,

EX OFFICINA ADLERIANA.



Laudari solent et maximopere commendari a Philosophis veritates pacificae, id est, tales, quae partim ab omni contradictione sunt liberae, nullisque adeo controversiis concedunt locum, partim si rite applicentur, faciunt ad componendas lites, pacemque et concordiam stabiliunt. 1) Celebratur inprimis Mathesis, quod sit pacifica, ideoque Philosopho digna. 2) Controversias enim non solum ignorat, sed istiusmodi etiam methodum adhibet, quae si in reliquis scientiis applicetur legitime, utique ad componendas controversias pacemque et concordiam stabiliendam maxime facit.

Absit a me longissime, ut nobilissimis scientiis Mathematicis aliquid detractum cupiam. Laudo et de meliori eas commendare soleo, omnibus, qui ad accuratiorem adspirant cognitionem. Dantur tamen veritates pacificae etiam extra Mathesin. Logicam et Ontologiam, primumque Iuris Naturalis principia, ne quidem ab Atheo in dubium vocanda, nunc taceo. Paucissimis saltem commemorare mihi liceat veritates de morte, ejus universalitate et incertitudine, quae sane ita comparatae sunt, ut omnes veritatum pacificarum fiant

1) WITTICHIVS in praef. ejus
Theologiae pacificae praemisla.

2) M. VELLNAGEL 2 dissertat.
de Mathesi pacifica, adeoque Philosopho dignissima, lenae 1738



fistant characteres. Subeundam enim aliquando omnibus hominibus mortem inevitabilem, incertam tamen et fallacem esse ejus horam, qui negaverit, haecenus vix repertus est quisquam, aut si forsitan, quod etiam Mathesi contigit, 3) contradicere his veritatibus unus vel alter fuerit ausus, quod tamen rarissime factum memini, 4) is certe non applausum, sed omnium censuram sibi conciliavit; taceo, quod mors, quam vel evitare non potuit, vel longe alio, quam quod ipse praefixerat, tempore experiri debuit, ejus sententiae manifestissimam scripserit dicam. Nec minus mortem jure meritoque pacificam appellare licet, eo quod bellis, contentionibusque inter homines ponat modum, simul ac viva ejus cognitione mens imbutur. Ex vero jam olim cecinit EURIPIDES: 5)

εἰδ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος,
ἐκ ἄν ποθ' Ἑλλὰς δορυμανῆς ἀπόλλυτο

Quod si mors ob oculos esset,
nunquam infano belli amore capta periret Graecia.

Meum et tuum peperit omne bellum. Mors vero quovis tempore nobis metuenda tollit omne, quod meum et tuum intercedit, discrimen, infert jacturam omnium, quae in mundo acquisivimus, et cujus victricia arma (ut de ALEXANDRO M. dictum scimus,) vix orbis capere potuit, is angusta mox clauditur tumba. Nos qui Christiani salutamur, sublimioremque, ut cum BERNARDO loquar, philosophandi rationem sequimur, Christum scilicet nosse, et hunc crucifixum, longe sublimiora quoque ad pacem et concordiam mutuo alendam, in morte invenimus motiva. Nobis enim, dum vivimus, omnis cura in eo ponenda est, ut mors nobis contingat beata, id est, talis, quae ad aeternam pacem, eamque consummatissimam, quam satisfactioni Christi debemus, nos deducat, qua

A 2

inchoa-

3) SEXTVS EMPIRICVS *contra Mathematicos*, et recentius illustr. THOMASIVS.

4) Ad horum numerum pertinet ex una parte THOM. ASGILIVS, qui Fanaticis deliriis in transversum actus, eo delapsus est, ut crediderit, hominem firma fide Christo insitum, ad eum peringere posse statum, ut sine morte ac resurrectione, non secus ac Henochus, ad coelestia gaudia transire queat; quamvis de eo, quid de se aliquando futurum sit, dubitanter loquatur. Interim certum est, ipsum 1738 suo exemplo confirmasse veritatem: omnes homines esse

mortales. Conf. Rel. innoc. 1702. pag. 21. seqq. PFAFFIVS *de morte naturali* §. 6. pag. 24. b. BAUMGARTENIVS in den *Nachr. von einer hall. Bibliothek*, Vol. VII. pag. 164. seqq. Ex altera vero parte huc referendus est famosissimus ille CHRIST. DEMOCRITVS s. DIPPELIVS, qui ante annum 1808 ultimam sibi non instare horam publice professus est, sed 1734 Berleburgi vitam cum morte commutavit. Vid. *Acta Hist. Eccles.* Vol. I. pag. 390., et S. Vener. Dn. D. WALCHIVS in der *Einl. in die Rel. Streit.* in der *L. R.* Vol. 5. pag. 1003.

5) apud STOBÆVM pag. 588.



inchoative tantum in hac vita fruuntur fideles in justificatione et unione mystica. Talis vero nemini expectanda est, nisi in quem terrae adhuc incolis associatum, verba Christi quadrant: *Μακάριοι οἱ εἰρηνοποιοὶ!* *Beati pacifici!* Ecce mortem pacificam! non Philosophorum tantum, sed etiam omnium, perpetua meditatione dignissimam.

Plura nunc non addo, cum angustiores hujus scriptionis limites, secundum Leges Facultatis praefixae, quas negligere nefas duco, id prohibeant. Indicanda mihi potius est occasio, quae ut *mortem* hic sifterem *pacificam, adeoque omnium meditatione dignissimam*, me impulit, mors scilicet beata Collegae, dum viveret, honoratissimi, nunc desideratissimi.

Vix unum haecenus expiravit lustrum, intra cujus spatium, tristi non solum sed rariori quoque fato, quatuor e Collegis funera efferre vidit Philosophorum in hac Academia noster ordo. Sic enim MDCCLIII. d. 25. Novembr. beata morte nobis ereptus est b. PETRVS BECKERVS, universae Academiae nostraeque Facultatis Senior, Mathematicum P. P. O., Pastor Iacobeus et Rever. Ministerii Director, Vir omni laude grataque in posteros propaganda memoria dignus, postquam per 56. annos in hac Academia docuerat, longaevitae sua omnes, quotquot in hac Alma haecenus Professorum sustinuerunt provinciam, superans 6). Nondum expiraverat biennium, cum repentina morte, qua in Museo suo inter meditationes sacras oppressus, MDCCLV. die 13. Maji, ad coelites abiret B. PETRVS CHRISTIANVS KAEMPFERVS, Phil. et S. S. Theol. D., Metaphys. P. P. O., et ad aedem D. Mariae Diaconus. 7) Nunc vero ipso hoc anno d. 7. Febr. jubente ita vitae mortisque Domino, ad coelestem Academiam evocatur, Vir Excellentissimus, Amplissimus atque doctissimus, Dominus IOH. LUDOV. ENGEL, Philos. D. et Prof. Logices Ducalis P. O. celeberrimus, longiori, si Deo ita visum fuisset, vita dignus, quem post brevissimum, vix duorum mensium intervallum, die 21. Mart. secutus est, B. nunc IACOB. CHRISTOPH. WOLFIUS, linguae graecae Prof. P. O. inclutus, Collegii Dnorum. Professorum A. S. nostraeque Facultatis Senior gravissimus, et ad aedem D. Mariae Pastor. Ita vero Divinae placuit voluntati, quam pia submissione animi venerari nos decet, nec invidere Collegis nostris optimis, nunc desideratissimis, inprimis, in cuius honorem nunc scribo, b. nostro ENGELIO, insignem illam felicitatem, qua solutus omnibus calamitatibus publicis, quibus Provinciae Mecklenburgicae eheu! nunc premuntur, et, nisi Di-

vina

6) Memoriam Viri beati, nomine Facultatis Philosophicae, commendavit Excellentissimus quondam et Maxime-Reverendus, Dn. JAC. CHRISTOPH. WOLFIUS, Facult. Philos. Senior, ultimisque

vitae suae temporibus Pastor Marianus, t. t. Decanus.

7) Virtutem hujus Viri, ex sententia Facultatis nostrae, commendatione prosequutus est, ipse Vir beatus, cui haec nunc scribo.



vina misericordia tempestive intercesserit, opprimuntur; aeternis gaudiis in domicilio pacis consummatissimae jam recreatur. Nos interim nostri quid sit officii probe gnari, id maxime agemus, ut partim, quanti semper aestimaverimus Virum beatum, Collegam nobis omnibus carissimum et honoratissimum, publice innotescat, partim vero, quae ad memoriam ejus conservandam, seraeque posteritati commendandam, faciunt, mori in nostro ordine recepto convenienter, observemus, publicoque hoc Programmate debitum ipsi struamus honoris monumentum.



Struxit hoc ipsum, quoad vixit, sibi ipse Vir beatus, *claris* in republica literaria *Angelis* jure meritoque annumerandus, quod quidem nomen in historia literaria et Philosophica non prorsus inauditum esse constat. Peculiari significatu illud adhibuit THOM. CRENIUS, variorum scriptorum compilator haud obscurus 8). Designare hoc ipso enim voluit eruditos, qui ANGELI nomen gesserunt, quod in omnibus gentibus, maxime tamen Italis, est frequentissimum. Numerosum nobis eorum sistit catalogum, 9) augendum tamen et perquam multis adhuc supplendum. Sola scilicet haec nostra Megapolis uno plures nobis exhibet Viros eruditos huic indicii ex merito inferendos. Unica gens ENGELKENIANA laudatissimorum Virorum quadrigam nobis commonstrat, qua Sylloge de *claris Angelis* carere nequit, b. CHRIST. intelligo ENGELKENIVM, Pastorem quondam Doberanensem eruditum et meritissimum, ex meditatione Eucharistica, quae b. SCHOMERI Collegio Anti-Calviniano adhaeret, notissimo, b. HENR. ASCANIVM, Theologiae antea Professorem in hac Alma, et deinceps Diocoesios Parchimensis Superintendentem vigilantissimum, ejusque fratrem, b. HERM. CHRISTOPH., S. S. Theol. apud nos Prof. P. O., et ad aedem D. Iohannis Pastorem, in officio ecclesiastico Dnum. Antecessorem meum celebratissimum et meritissimum, nec non b. CHRIST. HENRICVM, HENR. ASCANII filium, Consistorii Ducalis Vice-Directorem, nuperrime pie demortuum, Virum de utraque republica tam literaria quam Civili optime promeritum. Nec minus hic commemo-

B

randus

8) in praefat. quam ANGELI CANINII ἀλλημισμῶ, a se 1700. Lugduni Bavorum edito, praemisit. Idem igitur praestitit, quod alii, qui de doctis *Andreïs*, *Lucae* nomine insignitis, de *claris Georgiis*, de *Nicolais* doctis, de *claris Iacobis*, *Philippis*, *Theophilis*, etc. scripserunt, quorum doctas nugas recensuit M. IOH. GOTTOFR. BÜCHNERVS de *vitiorum inter eruditos occurrentium scriptoribus*, s. iudicio HEVMANNI in *conspectu reipubl. liter.* pag. 439. rectius in *Bibl. micrologico-literaria* p. 18. seqq.

9) Inprimis verbosus est THOM. CRENIUS, in enarrandis meritis ANGELI POLITIANI, Sec. XV. inter Italos Philosophiae, Iurisprudentiae, Grammatices, et omnis doctrinae elegantioris, instauratoris felicissimi. Longe tamen accuratius id recentius praestitit celeberrimus olim Lipsiensium Polyhistor, B. FRIDER. OTTO MENCKENIVS, IOH. BURCKH. filius, et OTTON. nepos, in *historia vitae et in literas meritorum ANGELI POLITIANI* Lipsi. 1736.



randus mihi venit superstes hactenus, faxit Deus! quam diutissime, Dnus. CAROLVS CHRIST. ENGEL, apud Parchimenses ad aedem D. Mariae Pastor meritissimus, et Rever. Ministerii Senior gravissimus, beati nostri Collegae Frater, ex erudito scripto, quod sub titulo: *Das Evangelium des alten Testaments*, in publicum emisit, et in quo in vaticinia et typos de Messia in V. T., maxime in scriptis Mosaicis obvia, docte commentatus est, in Ecclesia et republica eruditorum clarus. Plures, quos memoria et lectio facile suggerere mihi possent, nunc non addo, cum exiguus exinde, ut ex Micrologia literaria generatim, sperandus sit usus.

Inprimis autem nomen *Angeli*, et quae huic aequipollent, ut honoris titulos in republica literaria nonnunquam tributa fuisse videmus, istiusmodi Viris, qui praeclara omnique laude et memoria posteritatis digna praestitisse sunt crediti. Innotuit *Doctoris Angelici* appellatio, nec non *Doctoris Seraphici*, quarum altera TH. A QVINATI, altera BONAVENTURAE, celebratissimis inter Scholasticos nominibus, propria est (10), quamvis non desint, qui Charlataneriae specimen hic inveniant (11). Idem prorsus in *Angeli* nomine quaesivisse, demortuum ante paucos annos, nimirum MDCCLV, Romanae Ecclesiae Cardinalem et Episcopum Brixiensem, ANGELVM MARIAM QVIRINVM, inter eruditos sui temporis nominis fama coruscum, haud obscure ipse testatur (12). Is enim lectione Operum ANGELI GRILLI, Abbatis Congregationis Casinensis, quo nomine Monasterium Fratrum Ordinis S. Benedicti Florentiae gaudet, eorumque salibus magnopere semper delectatus, ut haberet, quod ad aemulationem ipsum perpetuo exstimularet, eo inductus est, ut cum in hoc ipso Monasterio schema Monasticum exciperet, (ut fieri solet,) nomen HIERONYMI, quod in baptismo acceperat, cum nomine ANGELI MARIAE permutaret.

Utroque

10) TH. A QVINATEM mox post fata sua isto titulo fuisse condecoratum, constat. Serius BONAVENTURAE ista gloria accidit. Post aliquot enim secula a Pontifice SIXTO V, ut ordini Minoritarum, cuius membrum et BONAVENTURA, et ipse SIXTVS V. fuerunt, velificaret, hucque haberet, quem et sanctitatis et eruditionis magnitudine TH. A QVINATI Dominicano opponeret, is honos BONAVENTURAE est decretus, ut seraphicus appellaretur Doctor. Vid. Celeb. BRVCKERVS in *histor. Philos. Crit. Tom. III. pag. 802. et 811*, pluresque alii apud B. STOLLIVM in *den Anmerkungen über D. Henmanns*

Conspectum etc. pag. 152. et pag. 146. Id mihi adhuc annotare liceat, quod Doctoris Seraphici titulus longe praestantius quid involvat quam Doctoris Angelici, cum Pontificii, autoritate Pseudo-Dionysii Areopagitae decepti, Angelos ad ultimum ordinem postremae saltem hierarchiae coelestis referant, seraphinos autem ad secundum ordinem primae ex hierarchiis coelestibus.

11) Conf. B. IOH. BVCKH. MENCKENIVS de *Charlataneria eruditorum* pag. m. 19.

12) Vid. *Commentarii de rebus pertinentibus ad ANGELVM MAR. S. R. E. Cardin. QVIRINVM Part. I. libr. I. p. 11.*



Utroque significatu Virum beatum inter *claros Angelos* numerandum esse, palam est. Non enim solum nomen ejus gentilitium, sed doctrinae imprimis specimina, ejusque in Academiam et Facultatem nostram merita, nomen hoc ipsi vindicant. Confirmant hoc meum de Viro beato iudicium omnia, quae de vita ejus publico hocce Programmate enarranda veniunt.

Equidem quae de vitae ejus ingressu, Parentibus optimis, gente ex qua sanguinem duxit, educatione, vitae scholastica, Academica et privata, denique de ejus ex hac mortalitate egressu, dici possent, nunc mitto, et B. L. harum rerum cupidum, ad Programma Academiae nomine, a Magnifico Domino Rectore, divulgatum, ablegatum volo. Id saltem mihi agendum est, ut quae, per duos et viginti annos, quibus Professoris munere in hac Musarum sede functus est, nostroque Philosophorum ordini adscriptus fuit, praeclare ab ipso gesta sunt, ex more et consuetudine nunc recenseam.

Annus agebatur MDCCXXXV, quo inclinante ad finem a Sereniss. CAROLO LEOPOLDO, Duce Regnante Megapolitano glorios. memoriae, Vir beatus ad Professionem Logices, quam ab anno MDCCXII usque ad annum MDCCXXI, ubi ad Professionem Theologicam ipsi clementissime demandatam publice introducebatur, cum laude nominisque et meritorum celebritate gesserat, b. nunc Dn. FRANC. ALB. AEPINVS, Vir et Praeceptor quondam meus supra meam laudem positus, gratiosissime vocaretur, ita tamen, ut quae b. AEPINO extra-ordinaria et extra-Conciliaris fuerat, jam esset ordinaria et Conciliaris. Eo jucundius isthaec vocatio omnibus tunc temporis Facultatis Philosophicae accidebat membris, quo diutius Collegis Ducalibus ex aliquo tempore caruerant. Ab anno enim MDCCXXXI, quo ultimus Philosophorum Ducalium, b. scilicet DAV. HENR. KLOEPKENIVS, S. S. Theol. D. et Poët. P. P. O., diem obierat supremam, adeoque per quinque propemodum annos, soli Professores Philosophiae Amplissimi et Prudentissimi Senatus in Facultate adfuerant. Quem casum rarissimum, cum ad singularia Facultatis Philosophicae merito referendus veniat, hoc loco annotasse liceat.

Introductio ad demandatam ipsi clementissime Professionem, ejusque inter Rev. Concilii membra receptio, MDCCXXXVI d. 22. Mart. contingebat, Rectoratu tunc temporis fungente, Viro Excellentissimo quondam, Maxime-Reverendo atque Doctissimo, nunc b. IACOBO CHRISTOPHORO WOLFIO, Graecae Linguae P. P. O., ultimisque vitae ejus mensibus ad aedem D. Mariae Pastore. Oratio, quae hac occasione a Viro beato habenda erat, doctum aliquod pertractabat thema, istis temporibus accommodatissimum, scilicet: *Num quid Biblia Werthemienfis; et in quantum traxerint ex Philosophia Wolfiana?* Prodierat scilicet MDCCXXXV Werthemiae,




quae Comitatus Werthemienſis in Franconia eſt metropolis, Pentateuchus nova verſione germanica donatus, ſ. rectius corruptus, variisſque obſervationibus, et inprimis verbosiori praefatione inſtructus, ſub nomine Bibliorum Werthemienſium notiffimus. 13) Exiſtiſſe perquam multos, qui infelicia haecce autoris ſui, IOH. ſcilicet LAVR. SCHMIDII, conamina, inter deteſtandos Philoſophiae Wolfianae reterrent fructus, et hoc ipſo innocuae iſti Philoſophiae adſpergere cuperent maculam; ſciunt omnes, quorum noſſe intereſt. Vt horum tamen paralogiſmos detegeret, omni accuratone nec ſine doctrinae apparatu Vir beatus in Oratione ſua inaugurali annitebatur. Quem in finem errores omnes, a Werthemienſium Bibliorum fabricatore admiſſos, recenſebat, eos Wolfio ejuſque Philoſophia longe antiquiores, inque Iudaeorum, Anti-Scripturariorumque ſpurciſſimis ſcriptis jam eſſe obvios docens, quod deinceps eundo per ſingulas Werthemienſis Pentateuchi parermentias potiores commonſtrabat, latiusque deducebat; quibus omnibus rite demonſtratis, turpis illa accuſatio ſua ſponte ceſſare debebat. Ex adhibitis autem Wolfii definitionibus, loquendi modis et methodo, aequè injuſte contra ejuſ Philoſophiam aliquid colligi iudicabat, ac contra Scripturam S., eo quod in omnibus haereticorum ſcriptis ad eam provocetur. Ocularis inſpectio Orationis Mſctae haec omnia memet docuit. Quo ipſo ſtatim ſub ingreſſum muneris ſui Academici Vir beatus clare ſatis ſignificabat, quam longe ab omni partium ſtudio ſit remotus, et quantum abs ſe abeſſe jubeat perverſum quam plurimorum, qui eruditi eſſe cupiunt, morem, quo dominantibus ſemet accommodant opinionibus, ſecundum quas tunc temporis Philoſophia Wolfiana coluvies erat errorum maxime abominandorum, Atheiſmi, Fataliſmi, Rationaliſmi, Idealismi et Materialismi, quos ex ſcientiarum Divinarum pariter ac humanarum officinis, quales Academiae eſſe debent, ſuo jure meritoque abeſſe jubemus.

Quatriduum poſt factam publicam introductionem in Facultatem aſſumptus eſt, praefito tamen prius ſolenni juramento, quoniam in extera Academia, ſcilicet Vitebergeniſi, promotus, in Facultatem tanquam Magiſter nondum receptus erat. Factum hoc eſt, teſtantibus membranibus Matriculae noſtrae Facultatis d. 26. Mart. 1736, laudato jam prius b. nunc Dno, WOLFIO Decano. Ex

13) Titulus operis, inter rariora nunc numerandi, ſequens eſt: Die göttlichen Schriften vor den Zeiten des Meſie JEſus, der erſte Theil, worinnen die Geſetze der Iſraelen enthalten ſind, nach einer freyen Ueberſetzung, welche durch und durch mit Anmerkungen erlättert und beſtätiget wird. Wertheim 1735. in 8vo maj. Historiam famoſiſſimi huius ſcripti tradiderunt plurimi, inter quos eminent Aet. Hiſt. Eccleſ. in appendici-

bus, Tom. I. II. III et IV. M. IOH. NICOL. SINNHOLD in der hiſtoriſch. Nachricht von der verruffenen ſogennanten Wertheimiſchen Bibel 3 Tom. S. Vener. Dn. D. WALCHIVS in der Einl. in die N. Streit. in der L. R. Tom. V. pag. 1276. ſqq. nec non Diſput. quae Ienae 1737. de Anti-Scripturariis, ſpecialim Werthemienſi, prodiit Cap. II. Addatur D. WALCHIVS filius in Hiſtor. Eccleſ. recent. pag. 188.



Ex illo tempore demandato sibi munere omni cura et dexterritate functus est, et quidquid in honorem et emolumentum Facultatis suae, cui adscriptus erat, quomodocunque facere perspiciebat, pro virili praestitit.

Inter functiones Professori obeundas primus citra dubium locus assignatur, ut legendo et docendo commoda studiosae juventutis promoveat. Ad hoc enim Professores in Academiis imprimis vocantur. Ut igitur hisce suis partibus rite faceret satis, omnem semper movit lapidem Vir beatus. *Logicam* imprimis docuit, *reliquasque Philosophiae partes, stili Romani* praecepta tradidit, *Historiam Philosophicam* peculiaribus acroasibus enarravit, in Autores nonnullos *Classicos* e. gr. *VIRGILII Poëmata*, et *PLINII Panegyricum*, quandoque est commentatus, et tandem Auditores suos *disputando* exercuit, prout publici laborum indices, qui a Professoribus nostrae Academiae quotannis edi solent, testantur. Nec defuit Viro beato optatus applausus, selectusque Auditorum numerus, quorum perquam multi splendidis nunc gravissimisque praesunt officiis.

Polygraphi et Polyhistoris, quod quamplurimi affectarunt quidem, paucissimi tamen in orbe literato cum laude sustinuerunt, hinc prudentioribus exosum nomen, nunquam consequi studuit. Interim tamen non fuit *κοφὸν* inter nos *πρόσωπον*. Recensebo, quotquot de eo prostant scripta, numero quidem non adeo multa, nec aliorum, qui logodiarrhoea laborant, compilationum cumulo quoad numerum aequalia, maxime tamen sufficientia ad demonstrandum, ipsum non solum egregie doctum, sed et Academiae nostraeque Facultati utilissimum fuisse membrum.

MDCCXXXVII.

Progr. in natalem Seren. CAROLI LEOPOLDI glor. memor., de quaestione. *quanam ratione, quibusve mediis historia sit paranda Meclenburgica.*

MDCCXXXVIII.

Monitum Paulinum: *de Spiritu non extinguendo* ad I Theff. V. 19. Programma Pentecostale.


Programma exequiale b. Dnae. ANNAE MARIAE PAVLI, Conjugis Dn. D. IOH. SEBASTIANI MEYERI scriptum, praemissa Commentatione: *de feliciori ratione, quasi accensis lucernis indagandi homines vere homines, et perfectos.*

Programma memoriae b. Dni. FRANC. ERN. KOHLII I. U. D. et Consilarii Meclenburgensis dicatum, cui praefixa est tractatio *de sensu verborum Christi Matth. XIII. 31. 32.*

Programma funerale b. Dnae. ANNAE MARGARETAE KNESEBECK, Conjugi b. Dni. HANS GOLTERMANN, Ampl. et Prudent, quondam Senatus membri, scriptum.

C

De



De excitatione Angelorum ad celebrandas nobiscum laudes Divinas, occasione Psalm. CIII. 20. Programma in festum S. Michaëlis.

M D C C X X X I X.

Disput. *de existentiae conceptu, secundum regulas Logicas rite formando.* Hanc sub Viri beati praesidio publice ventilavit M. IVST. HENR. SCHVLTZIVS, Westenbrügge - Megapolit. nunc verbi Divini Minister in Megapoli. Is in Academia Ienensi ante paucos menses Magisterii gradum consecutus erat. Cum vero in nostram se conferret, Doctoris Philosophiae juribus usus, Legibus Facultatis nostrae semet conformare tenebatur, quippe quae Magistro alibi examinato et promotio expresse injungunt, ut, antequam in Facultatem vel recipi, vel ad lectionum publicationem admitti possit, tam respondendo sub Praesidio Professoris istius disciplinae, ex qua thema Dissertationis est desumptum, quam praesidendo, sese publice exhibeat.

M D C C X L I I.

Progr. in natalem Sereniss. CAROLI LEOPOLDI glor. mem. *de nominibus hominum propriis, eorumque significationibus.*

M D C C L V.

De disputatione rite instituenda commentatio, artis disputatoriae cultoribus oblata 14).

Programma in obitum b. Dni. PETR. CHRIST. KAEMPFERI nomine Facultatis Philosophicae, praevio sermone: *An omnibus et singulis obeundum sit luctamen mortis?*

Formulae loquendi nonnullae e doctrina Logica, praesertim veterum derivandae. Pentas prima 15).

M D C C L V I I.

Formulae loquendi nonnullae etc. Pentas altera 16).

Nec defuit Viro beato occasio, publice in eruditorum Panegyri, recitandi orationes varias docte elucubratas, quarum ut mentionem quoque injiciam, a scopo meo non puto alienum. Sic igitur verba fecit

M D C C X X X V I I.


De Politia Angelorum analogice sic dicta, contra Comitem de GABALIS ejusque continuatorem.

In Natalem Sereniss. CAROLI LEOPOLDI glor. mem. *de memorabilibus quibusdam Graboviensibus.* Materia sane, omnibus, qui Historiam Patriae in deliciis habent, jucunda et grata,

14) Vid. Rostockische Gel. Nachr. 1755. num. 6. pag. 57.

15) Vid. l. c. 1756. num. 7. pag. 65.

16) l. c. 1757. num. 5. pag. 49.



grata, quam prelo paraverat Vir beatus, ut ex ore ejus memet percepisse memini.

MDCCXXXIX.

*de formulis quibusdam loquendi, in vernaculam nostram invec-
tisque ex Philosophia rationali, praesertim veterum, derivandis.* Prae-
missa haec est publicae renunciationi nonnullorum Philosophiae
Doctorum. Uberius eam elaboratam, duabus Commentatio-
nibus successive editis, cum orbe erudito communicavit 1755
et 1757, ut antea jam dictum est.

MDCCXLVIII.

*De dignitate sapientiae Doctoribus habita a Trajano Caesare, cum
Pro-Cancellariatum gereret.*
Praeterea inseruit Intelligentiis Meclenburgensibus varias observa-
tiones. Sic

1751. num. 4. 5. 6. leguntur meditationes: *Von natürlicher
Wahrnehmung mehrerer Selbständigkeiten in dem einigen
Wesen Gottes.* Publicas eapropter Vir beatus sustinuit con-
tradictiones 17). Quae vero ipsi mens fuerit, et quam lucu-
lenter ultimis vitae suae diebus orthodoxiam suam, in doctrina de
mysterio Trinitatis testatus sit, jam dixi in Programmate Ma-
gnif. Dni. Rectoris. Quare nunc nihil addo.

1753. num. 8. et 9. *Von der Nacht-Regierung durch den Mond.*

1755. num. 7. et 8. *Von der Verwahrung des Gemüths wieder
das übertriebne Zweifeln.*

num. 42. et 43. *Von der Benennung der Päpstlichen, wie
auch der Protestantischen Religion, in dem Passauischen Ver-
trage und Augspurgischen Religions-Frieden.*

1756. num. 19. et 20. *Dhymmaßgebliche Beurtheilung einiger
Reimmannischen Fragen.*

Officiis, quae in nostra Facultate inter Collegas sunt ambulato-
ria, praefuit, quoties ordo ipsum tetigit. Singula vero omni pru-
dentia et fide pro conservandis Facultatis juribus, honore et com-
modis, semper gessit. Sic enim Pro-Cancellarii illustris dignitatem
sustinuit MDCCXXXIX cum simul ut Decanus et Brabeuta d. 22.
Septembr. trigam Virorum dignissimorum Doctores Philosophiae
publice renunciaret. MDCCXLVIII. d. 12. Mart. eadem digni-
tate conspicuus, mihi, tunc temporis Decano et Promotori, pro ea,

C 2

qua

17) Legi hic potest Dn. Inspector
IOH. TH. HAVPT in den Gründen der
Vernunft zur Erläuterung und zum
Beweise des Geheimnisses der heilig.
Dreieinigkeit pag. 380. et Dn. Super-
intend. IOH. DIETER. WINCKLERVS
in Anecdotis historico - ecclesiasticis nov.

antiquis Part. III. num. 19. pag. 340. sq.
qui historiam litis exponunt. Addatur
S. R. D. KRAFT in der Theol. Biblio-
thek, Volum. VII. pag. 424 et 842, nec
non Dn. D. WALCHIVS Götting, l. 6.
pag. 223, in not.




qua pollebat, autoritate, licentiam concedebat tres Viros alios, Philosophiae Candidatos dexterrimos, gradu in Philosophia summo condecorandi.


Decanatu octies functus est, Annis scilicet MDCCXXXVII, mox iterum, cum inter Professores Ducales nostrae Facultatis solus esset, licet non sine amica contradictione Collegarum, A. Senatus Professorum, MDCCXXXVIII, MDCCXXXIX, MDCCXLI, MDCCXLIV, MDCCXLVIII, MDCCLI et MDCCLV, anno ob pacem religiosam Augustanam universae Ecclesiae Lutheranae Iubilaeo. Quae in emolumentum nostrae Facultatis hic praestiterit, longiora, quam ut hic recenseantur, posteris significabit Protocolium Facultatis. Sex inprimis Viros, tunc temporis Philosophiae Candidatos laudatissimos, hodie Viros, gravissimis in Academia et Ecclesia muneribus conspicuos, titulo et juribus Doctorum Philosophiae reddidit insignitos, videlicet Dnum. ANGELIVM IOHANNEM DANIELEM AEPINVM, Eloquentiae hodie P. P. O. in hac Alma celeberrimum, Dnum. IOACH. HARTMANNVM, Confessorii nunc Ducalis Consiliarium gravissimum, et Diocoeseos Mecklenburgensis Superintendentem vigilantissimum, Dnum. IOACH. GOTTL. RHONIVM, in Megapoli postmodum Verbi Divini Ministrum, nunc beate demortuum, Dnum. IOH. HENR. MANZELIVM, ad aedem D. Petri Diaconum fidelissimum, Dnum. GEORG. DETHARDING, ad aedem D. Iacobi Diaconum facundissimum, Dnum. CHRIST. ANDR. STAEVERVM, Rever. Ministerii Candidatum dignissimum.


Hi sunt labores, haec sunt merita, quibus, quoad inter nos vixit, locum inter *claros Angelos* in republica literaria consecutus est Vir beatus, nunc Angelorum in coelis triumphantium associatus choro, et ex Christi promissione *ισαγγελια* donatus. Gratulamur ipsi, quod omnes pie anhelamus, summum fidei et pietatis, qua reliquis omnibus, quae in ipso aestimavimus, maximum addidit decus, in aeternitate praemium. Dolemus tamen Virum eruditum, prudentem, pacis studiosum, inserviendi omnibus cupidissimum, verbo: optimum, quem amissimus Collegam, ejusque memoriam nobis omnibus jucundissimam fore asseveramus, eamque omnibus, qui haec nostra legunt, de meliori commendamus.



ROSTOCHII, SVB SIGILLO FACVLTATIS,
D. IX. APRIL. MDCCLVIII.







LBMV Schwerin 33
000 195 545







Utroque significatu Virum beatum inter *claros Angelos* nume-
 m esse, palam est. Non enim solum nomen ejus gentilitium,
 etrinae inprimis specimina, ejusque in Academiam et Facul-
 nostram merita, nomen hoc ipsi vindicant. Confirmant hoc
 de Viro beato iudicium omnia, quae de vita ejus publico
 Programmate enarranda veniunt.

Equidem quae de vitae ejus ingressu, Parentibus optimis, gente
 a sanguinem duxit, educatione, vitaeque scholastica, Acade-
 et privata, denique de ejus-ex hac mortalitate egressu, dici
 at, nunc mitto, et B. L. harum rerum cupidum, ad Program-
 academiae nomine, a Magnifico Domino Rectore, divulgatum,
 atum volo. Id saltem mihi agendum est, ut quae, per duos et
 ti annos, quibus Professoris munere in hac Musarum sede fun-
 st, nostroque Philosophorum ordini adscriptus fuit, praeclare
 o gesta sunt, ex more et consuetudine nunc recenscam.

batur MDCCXXXV, quo inclinante ad finem
 OLO LEOPOLDO, Duce Regnante Megapom-
 moriae, Vir beatus ad Professionem Logices, quam
 XII usque ad annum MDCCXXI, ubi ad Pro-
 gicam ipsi clementissime demandatam publice in-
 m laude nominisque et meritorum celebritate gef-
 Dn. FRANC. ALB. AEPINVS, Vir et Praeceptor
 supra meam laudem positus, gratiosissime vocaretur
 ut quae b. AEPINO extra-ordinaria et extra-Con-
 m esset ordinaria et Conciliaris. Eo jucundius ist-
 nibus tunc temporis Facultatis Philosophicae acci-
 quo diutius Collegis Ducalibus ex aliquo tempore
 anno enim MDCCXXXI, quo ultimus Philoso-
 m, b. scilicet DAV. HENR. KJOEPKENIVS, S. S.
 el. P. P. O., diem obierat supremam, adeoque per
 odum annos, soli Professores Philosophiae Amplif-
 fimi Senatus in Facultate adfuerant. Quem casum
 n ad singularia Facultatis Philosophicae merito re-
 hoc loco annotasse liceat.

ad demandatam ipsi clementissime Professionem,
 v. Concilii membra receptio, MDCCXXXVI
 ingebat, Rectoratu tunc temporis fungente, Viro
 quondam, Maxime-Reverendo atque Doctissimo,
 o CHRISTOPHORO WOLFIO, Graecae Linguae
 que vitae ejus mensibus ad aedem D. Mariae Pastore.
 occasione a Viro beato habenda erat, doctum ali-
 at thema, istis temporibus accommodatissimum,
 id *Biblia Werthemiensia; et in quantum traxerint ex*
ma? Prodiert scilicet MDCCXXXV Werthemiae,

B 2

quae




Image Engineering Scan Reference Chart TE283 Serial No.